



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Reditad Catholicos & abit in Hiberniam. n. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

manus imponentem pleudoëpiscopum sustinuisset.

IV. At non diu fuit quin luce veritatis clarius oborta, & errorem ipse suum damnaret, & scelus admissi aculeis altius animo hærentibus remedium non alibi quam in vniuersali Ecclesiæ vnitæ quærendum esse perlentisceret. Igitur ad pedes Orthodoxi Sacerdotis expiatus, quò parium consuetudinem periculo proximam, honesto secessu deuitaret, concessit in Hiberniam, Richardi Stanihurstij, familiaris olim sui, & studiorum similitudine cõiunctissimi, & (quod in primis spectabat) egregiè Catholici vsurus hospitio. Hic inter pietatis virtutisque exercitia, nè penitus literis nuncium misisse videretur, latinè discipulis *Iuuenem Academicum*; patrio vero idiomate *Historiam Hibernicam*; qua de historia ita in quadam sua Epistola ipse loquitur. "Historiam Hibernicam suspicor periisse; iustum volumen & absolutum: Inquisitores Hæretici rapuere. Etenim anno post quingentesimum septuagesimo duplici ex capite grauis in Catholicos procella detonuit. Pius Pontifex zelo tuenda fidei accensus, existimabat ostentatis armis Ecclesiæ, auerti posse *Elizabethæ* animum à sinistro quem ingressa fuerat tramite, & sexto calendas martias anni Superioris, latâ sententiâ, hæreticam dixerat, subditos iuramenti Religione exoluerat: Affixa hæc sententia Iunio sequenti valuis ædium Episcopi Londinensis, totam commouit Insulam: Cumque sub idem fere tempus ad eam Angliæ oram quæ Septentrionem spectat, Nobiles quidam temerè se armassent (seu *Mariæ Stuartæ* Scotorum Reginæ liberandæ, quæ ab *Elizabetha* tenebatur captiua, seu iniuriis in Orthodoxos vindicandis ea arma mota fuerint) Catholicis omnibus acre indicitur bellum; ac velut paucorum temeritas omnium fuisset consilium, & cuncti aut conspirationi nobilium, aut Pontificis se armis miscuissent, neque domi licuit, neque foris esse securis: *Campianus* ab ipsa vsque Hibernia exquiritur; in quo etsi nihil criminis extitit (nisi crimen est animi hospitatem in Ecclesiæ gremio quaesiuisse) quòd tamen sciret neque innoxiiis patere defensionis locum vbi furor occupauit aditus, maluit sibi fugâ consulere, quàm incertum, si teneretur, iudicium subire: Eâ de causâ, mutato cultu & nomine Dublinio se proripiens in Angliam primùm, deinde quantocius in Belgium transuolat.

V. Ab inito regno *Elizabethæ*, Episcopis & Clero veteri abdicatis, eam formam ordinis Ecclesiastici, eumque morem instituerat, qui & auctoritati Pontificis summi plurimùm aduersaturus videretur, & ei quam recens illa assumpserat stabiliendæ tuendæque in primis commodaret, eo vel maximè nomine, quòd potestas omnis atque vtilitas, in quam noui homines erant irrepturi, ab vna Regina deriuabatur pendebatque: Hanc potestatem quoniã Orthodoxi auerlabantur tanquam à radice vitiata proficilcentem, nõ pauci exilium spontaneum spurio regimini præferentes, vertèrè solum, & superato mari sub Principum Catholicorum umbra portum quaesierè. Hos inter enituerunt (vt complures taceam seu stirpe seu diuitiis nobiles viros faminalque) *Sanderus, Bristous, Hardingus, Smithæus, Stapletonus, Alanus*, aliique docti omnes,

1569.

Redit ad  
Catholicos  
& abit in  
Hiberniam  
Ao. 1569.

Per Angliã  
concedit  
in Belgiũ.

Initia Col-  
legij Dua-  
ceni.